

209

207

213

203

218

198

258

158

308

108

Ende

Anfang

194

Sed si vident, vasa ipsa, si possunt, rumpunt. Accepimus etiam in sacculos nostros caseum et arefactas ad fumum carnes, et flasculos nostros, et omnia nostra (**75 A**) peregrinalia, et de carina in puppim ascendimus. De puppi vero in barcam descendimus, et contra terram sanctam navigare in cepimus, et cum gaudio magno altis vocibus cantavimus: In Gottes Nahmen fahren wir, seiner Gnaden ic. ut habetur fol. 10. Hunc autem cantum nostrum non poterant audire Saraceni in litore, quia inter nos et litus erant scopuli Andromedae, in quibus mare magno fremitu saevit, et sonat et hoc sono noster cantus non audiebatur. Venimus autem in ipsos scopulos, et inter scyllas per stridentes undas transeuntes aqua perfusi et madidi facti raptum naviculae et allisionem in rupes, quae minabatur, evasimus, et usque ad litus venimus et de navicula egressi sumus. Statim autem ut humum sanctam pedibus nostris calcavimus, proni in facies nostras cecidimus, et terram sanctam cum ingenti devotione deosculatus sumus. In ipso vero contactu terrae benedictae indulgentias plenariae remissionis accepimus, quae signo tali (††) consequenter denotari ordinavi. Nam ubicunque ponitur crux simplex, ibi est indulgentia septennis: ubi vero ponitur crux duplex, est indulgentia plenariae remissionis a poena et a culpa, sicut solet dici: et prima crux significat indulgentiam culparum, secunda vero indulgentias poenarum. Finita ergo gratiarum actione de alveo maris ascendimus sursum per praeruptas rupes, quibus mare ibi cingitur et ora pelagi septa est. Stabat autem superius Pater Gardianus montis Syon et sui fratres cum praefectis terrae et senioribus Sarracenorum et Maorum cum scriptore, et ita ordinaverant se ab utraque parte, quod per medium eorum transire peregrinos necesse erat: nec duo peregrini simul poterant transire, sed unus post alium; non autem sinebant nos transire continue, sed quemlibet tenebant, et acute intuebantur, ac nomen suum proprium et patris sui nomen requirebant, et scriptor ambo nomina in scriptis redigebat. Nescio autem quam difficultatem hoc nomen Felix in eorum lingua facit: quia tam in altera, quam in illa peregrinatione aliquotiens oportebat me eis ipsum nomen replicare, et tamen nec exprimere, nec scribere poterant, nisi

